

V  
Kreismuseum  
Haldensleben

D. Nr. 363.

Tenzelins, W. P.,

mit 65 Platten.

auf folgendem Bl. des  
Inhaltsverzeichnis

Handscherei  
des Kreismuseum Haldensleben

Duch. Nr. VI 94

P. VII. 90.

4  
5  
6  
7  
8  
9  
10.  
11.  
12  
13.  
14.  
15.  
16  
17  
18.  
19  
20  
21  
22  
23  
24  
25  
26



Index contentorum hujus Voluminis

1. De Bibliis Polyglottis Tenzelii
2. De ritibus lectionum Sacrarum ejusdem
3. De Summi Dei Magnitudine Gen: III. 22. Exsteins
4. De homicidio & vindicta Simeonis Gen: IV. 23. 24. Hilligeri
5. De Henoch Gen: V. 22. 23. 24. Hoffmann
6. De Arca Noe Gen: VI. 13 - 18. Moebii
7. De odore divinis Sacrificii Noachi Gen: VIII. 21. Büschii
8. De confusione linguarum Babilonicam Gen: XI. 7. Ziegler
9. De Peccatis & poenis Pentheonum Gen: IX. 5. Majeri
10. De fide Abrahami justificante Gen: XV. 6. Rom: IV. 3. ejusdem
11. De Titulo Iosephi honorario Gen: XLI. 43. I. & II. Bocci
12. De oleo unitionis sacro Exod: XXX. 25. Leyg Ziegler
13. De Agnis amaris Num: ~~XV. 11~~ ~~LXXV. 11~~ Leyg Arolsh ~~131~~
14. De Virga Aaronis florida Num: XVII. 8. Maji.
15. De aneo Serpente Num: XXI. 7 - 10. Moebii
16. Geruit. Philolog: ex I. Sam: VI. 5. Justifianus
17. Othias Coronam convictor 1. Reg: XVII. 1 - 6. Majeri
18. Reobabami Vita 1. Reg: XII. Arolsh
19. De Achabo & Nabotho 1. Reg: XXI. Majeri
20. De petitione Naamanis Syri 2. Reg: V. 28. Lauenstein
21. Epistola Psalmi I. Welleri
22. De optima fidelium portio Psalm: LXXIII. 25. 26. Willemeri
23. Epistola Psalmi CX. Moebii
24. De Bibione Christi & Psalmi ejusdem versuto ult. Lauenstein
25. De ornamento festi Psalm: CXVIII. 27. Bocci
26. De Voce Selab. Lascii.

27. de Hapstans Rembarbi
28. de Propetia & Propetis Eusebii
29. iudai proprio jugulati gladio & LIII. Gantzi
30. Verba Jeremia de supplicis Cap. XV. 16. Carpovii
31. Goulum Desiderator Dan: V. Cleriken
32. Tempus Christi iustitia nostra Dan: IX. 24. Leyz Majeri
33. de Messia Gassione & Hierosolymorum degloratione Dan: 19. 26. J. Fridmanni
34. de Computo sacro Hedonad: LXX. Dan: Straubij
35. de crudelissima destructione Arbela Hof: X. 14. I. II. & III. Calovii jun:
36. Epos: Cap: XI. 7. Hof: Willemeri
37. de Dominatris Messia expositio Belessem & Egresibus ante initium ante dies festi.  
Midd: V. 2. Eversardi
38. de facto Rabbinorum Templo III. Hage: II. 7. Broccii
39. de sapientia a liberis iustificata Matthe: XI. 19. Stolbergii
40. de Confessione Petri & Responsione Christi Matthe: XVII. 13-19. Kunadi
41. de Possibili Cameli transitu per foramen acus Matthe: XIX. 24. Festen.
42. de Chippa Hebraorum Luc: I. 35. Carpovii
43. de consolatione Angelica agonizant: iesu Luc: XXII. 43. Majeri
44. de Stella nati iesu Erentelii
45. de sensu iudaorum Ascetis Willemerij
46. de Sadduceis ejusdem
47. de Tribus iudaorum Pharise. Sadduce & G. Geislerij
48. de Annulis Christi Letochij
49. de Corona Christi Erentelii
50. de Curia Christi Paschii
51. de tristi Salvatoris in Azone constituti Lamentis Schorffii
52. de Decora Xp'i Act: V. 39. XXIII. 9. Buecheri
53. de Flagellatione Apostolorum Act: V. 40-41. Schorffii
54. de crudelissima Liberonum immolatione facta Molord. Act: VII. 43. Fiegna  
Pauli Nabraatus Act: XII. 18 Num: VI. 9-12. Meinhardi.
- 55.

56  
57  
58  
59  
60  
61  
62  
63  
64  
65  
66


56. De Avaritia Act: XIX. 27. Siben  
 57. Epist: Cap: XIX. 35. eisdem  
 58. De justificatione hominis peccatoris coram deo Rom: III. 24, 25, 26. Oleari  
 59. De Mysterio Paulino Rom: XI. 25. 26. Helwigii  
 60. Dominus gloria crucifixus 1. Cor: II. 8. Sambaueri  
 61. De Christo victoria gloriosa Coloss: II. 15. Schmidtii  
 62. Explic: 1. Tim: V. 11. 12. Faustii  
 63. De Petri Apostoli conjugio Majeri  
 64. De S. Bernhards sermone Pasche  
 65. De sentiendi & credendi Libertinismo Schomeri  
 66. B. Mart: Lutheri Verus testis opposita Majeri

N. N. 13 Arbitrio

no 66 Mayer, F., Theses M. Lutheri

Rudolf Catecheter autem Guelphorb.  
 compar: Guelphorb: ad ...

899.



Q. B. V.

*Ex 1. Reg. XVII. comm. 1-6.*

ELIAS CORVORUM CONVICTOR,

DISSERTATIONE SOLENNI,

SUB PRÆSIDIO

ACADEMIÆ RECTORIS MAGNIFICI,

DN. JO. FRIDERICI MAYERI,

DOCTORIS ET PROFESSORIS THEOLOGI

ELECTORAL. ALUMNORUM EPHORI &amp;c.

P. P.

*Ab*

AUCTORE RESPONDENTE

DAVID GOTTFRID SCHWERTNERO, BRIGA SILESIO,

*D. 23. Januarii, A. 1685. in Audit. Theol.*


---

 WITTEBERGÆ,  
 Literis BRÜNINGIANIS.

7!

ILLAS CORVORUM CONVICTOR

DR. JOH. FRIEDERICI MAVERII

PROFESSORIS & RECTORIS

UNIVERSITATIS ALMA MATER

MDCCCXXXIII

IN VINDOBONA

APUD G. W. BUCHHOLD

IN VINDOBONA



JESU FORTUNANTE!

Proœmium.

**H**aias εἶ οὐ; *Elias es tu?* Johannem ita Christi præcurso- rem, sacri Judæorum Senatus legati rogant, qui prudenter & circumspectè satis hunc honorem deprecatur: *Οὐκ εἰμι. Non sum.* Joh. I, 21. Ut enim is ipse esset Elias Mal. IV, 23, 24. promissus: *Ecce! ego missurus sum vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Jehova maximus & reverendus, ut convertat cor Patrum ad filios & cor filiorum ad Patres ipsorum.* Ipso Christo interprete, Matth. XI, 14. *Si vultis recipere; ipse est Elias, qui venturus erat, & Gabriele, Luc. I, 17. Ipse (Johannes) præcedet cum Spiritu & virtute Elia, ut convertat corda patrum in filios, & inobedientes ad prudentiam justorum: ut paret Domino plebem perfectam:* hoc est, Eliæ spiritu & zelo armatus. Is tamen error plurimorum Judaicæ gentis occupaverat animos, ut de Eliæ Thisbitis in cœlum rapti personâ, vaticinium Malachiæ exponerent, hujusque reditum ad Messia dies expectarent. Quam heterodoxiam, Christi verba: *si vultis recipere, ipse est Elias:* discipulorum interrogatio, Christi explicatio, discipulorum subsequens illuminatio Matth. XVII, II. seqq. & confessionis Judaicæ in hunc usque diem pertinacia (conf. *Fac. Altingii* Lib. V. Schilo cap. XI. *Abarbenelis aliorumque sententia de Elia venturi personâ* p. 385. seqq.) clarè loquuntur. Dextram Judæis, ut in aliis fidei capitibus (vide *B. Geieri Conformitatem Judæo-Papisticam*, Francisci de Croy, *Tres Conformitates, seu harmoniam & convenientiam Romana Ecclesia cum Gentilismo, Judaismo, & antiquis heresibus*) ita & circa præsens, Pontificii portigunt, & Eliæ Thisbitis apparitionem ante adventum Messia ad extremum ju-

dicium, est oraculi Malachiani littera urgent, ac per Johannem Baptistam ex asse adimpletam esse, posthabitâ Christi adfertione, negant. Provoco ad *Conzenii* Jesuitæ prolixam commendationem in Matth. XI. f. 220. seqq. *Maldo-nati* notas in Matth. l. c. f. 271. *Cornelii à Lapide* ad Matt. IV. v. 6. aliosque hujus Ecclesiæ scriptores. Quorum errorem vel ipsi prudentiores inter judæos detestantur, qui Eliam à Malachia delineatum, non de Eliæ Prophetæ persona, sed de viro principe, spiritu & zelo Eliæ instructo, accipiunt. Ita *Maimonides* Rabbinorum sapientissimus H. Melachim c. ult. & R. *Tanchum* ad Malachiam: *Est hoc sine dubio promissum de Propheta in Israel manifestando paulo ante tempus manifestationis Messia, quem quidem è doctis putant ipsum Eliam Thisbitem futurum: quæ sententia in plerisque scriptis homileticis reperitur: & alii censent Prophetam magnum fore parvis cum ipso gradus, eodemque loco constitutam, quod cognitionem Dei, & nominis ejus promulgationem, ideoque Eliam appellari, ut vult magnus ille Doctor Maimonides. Lege Eduardi Pocockii Notas Miscellaneas ad Portam Mosis c. VI. p. 219. Schickardi Jus Regium c. VI. Theor. XX. & Excell. Carpzovium in notis p. 452. Sed benè est, agnoverunt glossæ falsitatem ex Papæorum ordine viri quidam doctissimi, ipsi Cornelio à Lapide l. c. f. 842. allegati: Quæres, quisnam hic Elias? Calvinus, & nonnulli Catholici, ut, *Burgensis*, *Arias*, *Clarius*, censent, esse Johannem Baptistam: quia de eo ad hunc Malachia locum respiciens Christus Matth. XVII, 10. ait: Elias jam venit, scilicet Johannes Baptista, uti mox explicat S. Matth. Et cap. XI, 14. Omnes Propheta, & lex, usque ad Johannem prophetaverunt. Et, si vultis recipere, ipse est Elias, qui venturus est. Ne quid tamen dissimulem, Patribus quoque nonnullis hæc hæsit sententia, Eliam, Thisbitem reversurum; loca collegit *Svicerus Thesauri**

ELIAS CORVORUM CONVICTOR.

*Sauri Ecclesiastici* f. 1318. Illi verò Scripturæ docentes contra-  
ria, & nobis Patres non sunt, neque obsequium ipsi urgere,  
aut nos præstare, possumus. Non sine ratione itaque nega-  
bat Johannes se Eliam esse, quæ Elias erat; *quid est hoc, fra-  
tres charissimi* (Gregorii M. hom. 7. verbis litem decido) *quia  
quod veritas affirmat, hoc Propheta veritatis negat? Joha-  
nes in Spiritu Helias erat, in persona Helias non erat: quod ergo  
Dominus fatetur de Spiritu, hoc Johannes negat de personâ.* Sed  
de hoc argumento satis abundeque è suggestu sacro hæcte-  
nus actum. Revocarunt hæc conciones Eliæ Thisbitis acta  
& vitæ cursum in memoriam, cumque annonæ penuriâ ho-  
diè etiam proh. patria laboret, ut inter terrenos plurimo-  
rum, ne fame pereant, prima cura sit, placuit, cum specimi-  
ne aliquò Patronis studiorum meorum, (*quos Deus ad arbi-  
trium felicis servet!*) & pietatem pariter atque diligentiam  
probare vellem, ex consilio Dn. præsidis, cujus culturæ me-  
totum commisi, singulari divinæ providentiæ exemplo in E-  
lia conspicuo, laborem impendere, quod I. Reg. XVII. com-  
matibus 1, 2, 3, 4, 5, 6. legitur his verbis:

וַיֹּאמֶר אֱלֹהֵי הַתְּשֻׁבִי מִתְּשֻׁבֵי גִלְעָד אֶל אַחֲבָב הַחִי

וַיְהִי אֱלֹהֵי יִשְׂרָאֵל אֲשֶׁר עֲמַדְתִּי לִפְנֵי אִם יְהוָה

וְהַשָּׁנִים הָאֵלֶּה טַל וּמָטָר כִּי אִם לִפְנֵי דְבַרִּי:

(2. וַיְהִי דְבַר יְהוָה אֵלָיו לֵאמֹר: (3. לֵךְ מִזֶּה וּפִירְתָה

לֵךְ קִדְמָה וְנִסְתַּרְתָּה בְּנַחַל כְּרִית אֲשֶׁר עַל פְּנֵי

וַחֲרִדְדָן: (4. וְהָיָה מִדְּנַחַל תְּשֻׁתָה וְאֵת הָעֲרָבִים

A. 3.

בְּפִיִּי

צויתי לכלכלך שם: (5.) וילך ועש כדבר יהוה  
 וילך וישב בנחל כרות אשר על פני הירדן:  
 (6.) והערבים מביאים לו לחם ובשר בבקר ולחם  
 ובשר בערב ומן הנחל ושתה:

Quæ ex versione Junii & Tremellii sic  
 se habent:

*Dixit autem Elias Thischbites ex inquilinis Gilhadis Achabo: ut vivit Jehova Deus Israelis, ante quem sto, non est futurus annis istis ros aut pluvia, nisi ex verbo meo. 2.] Postea fuit ad eum verbum Jehova, dicendo: 3.) abi hinc, ut convertas te orientem versus, & abscondes ad torrentem Cerithi, qui est è regione jardenis 4.) eritque, ut ex illo torrente bibas: corvis autem precepi, ut sustentent te ibi. 5.) Qui abiens fecit secundum verbum Jehova, veniens enim consedit ad torrentem Cerithi, qui est è regione jardenis. 6.) quo corvi efferebant ei panem & carnem quolibet mane: similiter panem & carnem quolibet vespere: & è torrente bibebat.*

Hoc ordine autem processimus, ut

Caput primum, *ELIAM CONVICTOREM,*

II. *CORVOS HOSPITES,*

III. *CIBOS,*

IV. *MIRACULOSE HUIUS CIBATIONIS  
 USUS exhiberet.*

SIT DOMINUS NOBISCUM  
 ET CUM SPIRITU SUO!

CAP. I.

## CAP. I.

## LEMMATA.

§.1. **E**Liæ nomen Hebræum, non Græcum. Patrum ignorantia Lingvæ S. Scriptores ea de re §.2. Camarto ex tribus nominibus divinis compositum dicitur. Dissentit Excellent. Frischmuth:  $\aleph$  non nomen divinum. §.3. Elias Propheta officii partes implet, & verbis, & pœnis Israelitarum Idololatriam reprehendit. Annon zeli limites excesserit Elias? Locus Chryostomi, Talmudis. Plagæ Eliæ cœlestes. §.4. Fames Eliæ tempore, quas regiones afflixerit, & quamdiu durarit.

Th. I. Eliæ nomen, si originem spectes, Hebræum est. Lusit itaque magis, Græciæ illud vendicans, Magnus Chryostomus Hom. de ascensione Eliæ ex versione incerti Interpretis To. I. Opp. f. 564, ed. Paris. Nivellii scribens: *Hinc poëtas, atque pictores in figuranda solis imagine exemplar credo sumsisse. Qui curru, atque equis fulgentibus ipse rutilans, atque radians, & fluctu Oceani sublevatur inter præruptos montium scopulos evadens, quasi ad cœlestia videtur ascendere in similitudinem luminis ejus inductus. Sol enim Græco sermone Helios appellatur. Unde Helias verè Helios, quoniam curru, atque equis fulgentibus igne de oceani fluctu, id est, de mundi commotione: per montium scopulos, id est, per magnorum laborum difficultates, progrediens ad cœlestia de veditus ascendit.* Aut, si veram hanc credidit etymologiam, dandum id seculi vitio, quo pauci ad lingvæ S. cognitionem admittebantur. Conf. de ignorantia Patrum Lingvæ Ebrææ, Scherzerum desideratissimum Programmat. p. 14. Sixtinum Amamam Anti-Barbari Biblici præfat. & Orat. de Barbârie: Hottingerum

tingerum Smegm. Orient. L. I. c. III. p. 29, 30. Adde ipsum *Fewardentium* in Irenæum, & *Herretum* in Clementem Alexandrinum. Optime B. Lutherus noster Epist. de Schol. Daß die alten Patres, die ohne Sprachen gehandelt / wie ein Blinder an der Wand getappet / offte des Rechts gefehlet / und ihm eine Nase nach ihrer Andacht gemacht haben. Adde Tom. II. Jenens. p. 464.

Th. 2. Si compositionem attendas, hanc ex *Agidii Camarti* commentario de Elia cap. IV. sect. V. p. 152. accipe: Cum habet, ait, nomen ex ipsissimis Dei nominibus conflatum, non est dubium, maximam illius fuisse cum Deo conjunctionem. Sunt quidem in hominibus magna plerumque & excellentes appellationes, quas Bernardus magni nominis umbras vocat, & vacuas inanesque imagines. Elias vero non in vanum tale nomen possedit, sed magnitudinem illius magnis virtutum splendoribus ornavit. Paucis aperiendum est, quanta sit istius nominis magnitudo. Ea autem colligi potest primo ex eo, quod conflatum sit ex tribus Dei nominibus. Nam, ut constat ex Hieronymo, אַל inter decem Dei vocabula ponitur, & significat fortem, sive Deum, אֱלֹהִים etiam aliud Dei nomen est quod Dominum sonat. Tertium Dei nomen est אֱלִיָּהוּ, habeturque in sacro textu: Ipsum אֱלִיָּהוּ est nomen eius. Ex his vero tribus constat Elie nomen, quod Hebraei scribunt אֱלִיָּהוּ Eliahu. Licet autem plurimos reperias, qui ex aliquo Dei nomine vocentur, ut Israel, Eliachin, Adonias & sexcenta alia, vix tamen alterum invenies, qui tria Dei nomina habeat. Rectè vero Academiae Salane immortale decus Excell. Frischmuthius: Quod bina priora nomina אַל & אֱלֹהִים attinet, utique ea divina sunt, quibus nomen אֱלִיָּהוּ constat. Quod vero אֱלִיָּהוּ tertium Dei nomen esse contendit, in eo fallitur ordinis Minorum Generalis, juxta curam Johanne Reuchlino, Petro Galatino & quic.

Et quicquid Cabbalistarum. Manet itaque firmum Et fixum,  $\text{וַיִּקְרָא}$  non nisi ex censu pronominum esse, quæ ellipsin promovere solent includere. De Deo illud vero ita usurpatur, ut non tam ex se numen supremum denotet, quam ex circumstantiis textus elucescat, de eo sermonem esse, perinde ac alia Orientales lingua solent stylum suum moderari, Et ita Dei immutabilitatem significare. Vide Summi Viri dissertationem de Eliæ Prophetæ Nomine & profapia, quam Commilitonibus nostris commendamus. Adde B. Valthorum Cent. f. 608. n. LXXXVIII. an inter Dei nomina locum etiam inveniat  $\text{וַיִּקְרָא}$ , id quod adversus Reuchlinum de Verbo mirifico. L. 2. c. 6. & Galatinum L. II. de Arcanis Cathol. Veritatis c. 23. solidè negat.

Th. 3. Proprium hoc nomen (à parentibus impositum, non demum ex populi acclamatione, 1. Reg. XVIII, 39. Dominus ipse est Deus, Dominus ipse est Deus, ortum, quod Rabbini placet, antea Eliam Jaberschyth vocatum fuisse contententibus, si fides Cornelio à Lapide habenda in 2. Reg. XVII. f. 187.) Prophetæ fuit, qui diebus, Achabi pessimi, quos mundus viderat, Israelitarum Regis: addidit enim Achab facere, ad irritandum Dominum Deum Israel præ omnibus Regibus Israel, qui fuerunt ante ipsum. 1. Reg. XVI, 23. sacris operatur. Et postquam Israeliticus orbis miraretur se Achabi atque Isabelis malitiâ tam citò Baaliticum factum, Dei populum ab idololatria dehortabatur sedulo. Verum, cum nihil quidquam paternis proficeret adhortationibus, iusto tandem indignationis æstu apreptus, ardenti oratione Jac. V, 17. Deum aggreditur, & cœlum clausum, infrugiferam terram, in usum vindicandæ divinæ gloriæ obtinet, ut formidine pœnæ mali imposterum peccare desisterent, & extremæ necessitates ad veri Dei cultum atque venerationem illos compellerent.

B

rent.

rent. Limites moderati ac pii zeli Eliam hâc in re transiliisse *Chrysoſtomus* ſcribit Tom. I. Opp. Hom. I. de Elia f. m. 559. cujus integrum locum heic dabo, cum Cap. II. quoque inſignis illius ſit uſus. Igitur Helias ille, zelo Dei inſignis, ut vidit Judæorum gentem, contempta Dei miſericordia, perpetuo in deliciis vivere, & idolorum cultui deditam: & à Deo quidem impietatem tolerari, ipſos autem longanimitate iſta, ad majorem vitæ impœnitentiam, abuti: volens eos punitum iri, cogitabat, quidnam adverſus eos divinæ bonitati opponeret, quæ parvis lachrymis ſtatim movetur, ut iram ponat: decernit tandem, ut ad conceptam contra eos pœnam, Deum juramento aſtringat, quo ligatus, ſententiam in eos non facilè ſolveret. Non ignorabat enim, & zelo juſtorum Deum placari. Dicebat itaque, bonus erga illos Deus eſt, paucisqve eorum ſectitur lacrymis: verum bonitas illa populo malè cedit: longanimitate abutentes, perdite vivunt, & ſimulachra colunt, atqve ita & Deus ipſe contemnitur. Vivit Dominus, inquit, & non erunt per annos illos ros & pluvia. Deindè cum Deus ei reſponderet: quid ergo, ſi pœnitentes illi mihi blandientur, ſi lachrymas offerentes ſpectem, ſi à delictis reſpiſcentes videam, ſtatimne dare debeo pluviam? minimè, inquit, vivit Dominus, niſi per os meum. Non vivit Dominus. Illi idolis ſe addixerunt, ego per Deitatem tuam juro. Oſtende mihi, quod juramentum hoc & contra te valeat: ut & per hoc idolorum infirmitas declaretur. Non, vivit Dominus, non erunt tribus annis ros & pluvia, niſi per ſermonis oris mei. Non, quando tibi videbitur, pœnæ finem facias; Tibi enim pro clementia tua ſemper videtur miſericorditer agendum: ſed tunc, quando ego pro eis oravero, & judicavero, quod dignam animæ ſuæ curam gerant, probèqve reſpiſcant.

Igitur

Igitur Prophetam sententiam reveritus est Deus, & honorem juramento illi dedit. Rem tamen moderatus Dominus sic est, ut & Prophetam simul revereri videretur, & populi, quem fame puniebat misereretur. Et quid facit? Prophetam una cum populo punit, ut, dum etiam ipse in famis supplicio comprehenditur, aliquid misericordiae in relaxando sententiae suae juramento addiscat. Et punit quidem Prophetam cum populo, leviori tamen poena eum corripit, & mirabili sapientia misericordiae opus complet. Prophetam enim per illas potissimum aves, quibus sui foetus inrisi, nutrit. Odit enim prolem suam corvus, & natam non educat. Id quod Propheta insinuans dixit: Et pullis corvorum invocantibus eum. Quoniam enim pulli corvorum, imò omnes avium pulli recens nati, infirmiores sunt, quam ut ipsi cibum sibi parent, unde adhuc implumes à parentibus suis enutriuntur. Sed ab ea parentum cura corvorum pulli destituti: attamen ab illis non curatum permanet corvorum genus. Unde David, divinam nobis misericordiam commonstrans, eorum educationem Deo adscribit. Expositis enim ad aerem, utpote à parentibus neglectis, obvolitant animalcula quaedam, divina providentia suppeditata, quæ captantes illi, cresunt & aluntur. Unde dicit: & pullis corvorum invocantibus eum. Proinde per patres illos filiorum suorum osores, apud Eliam, qui Judæis, ut filiis malæ frugis, succensebat, Deus intercedit, quasi ad eum silenter ita diceret: Ne tanto Judæorum filiorum tuorum odio tenere, quanto erga pullos suos corvi. Ecce! illi nunc conversi sint, vide vel eorum misericordiam. Qui natura pulli sunt immisericordes, & inhumani, illi ipsi, ut hospites, tibi serviunt. Absurdum est, o Helia, quod apud de misericordiae meae patrocinantur corvi: tu autem

B<sub>2</sub>

pro



pro Judæis, in quos favio, non intercedis. Erubescere, & vel corvorum exemplo Judæis esto clementior. Ego enim, ut tuæ sententiæ honorem do, ita & illorum, qui affliguntur, misereri velim. At Helias, cum Deo nondum cederet, revocatur alumni corvi beneficium, & alia reconciliandi via quæritur; nempe, ut fame victus, sententiam ipse solvere cogatur. Verum ille corvorum ministerio destitutus, nihilo mitior in ediam etiam ipse sustinuit, & inquit: non ingratum est, quod fame crucior, tantum, ut impios puniri, videam; pereat etiam corpus meum cum his, qui fame affliguntur. Itaque cum deficiente per corvos alimonia, transiret multum temporis, iterum corripitur Helias, & in alium transire locum jubetur, ut famelicus ipse, famelicæ viduæ, quæ & ethnica erat, supplex esset. Quod hoc consilio Dominus fecit. Nam, cum Judæis interdictum sit, habere commercium cum Gentilibus, volens eum ad misericordiam provocare, prædixit ei futurum, ut à muliere Gentili & vidua pascatur. Quo, mox ut audiret Gentilis nomen, ab alimento ab ea sumendo abhorreret, & vel sic Deum pro effundendo imbri imploraret. Surge, inquit, hinc, & vade in Sareptam Sidoniorum, ut præcipiam illic mulieri viduæ ac Gentili, ut de pascat. Ille autem neque ad hanc vocem mitior factus, cucurrit ad Ethnicæ mulieris alimoni- am. Jam, quod majus est, excidat Deus viduam, ut esuri- enti verba aspera loquatur, ita undique ipsum ad be- nignitatem compellens. Et quidnam inquit mulier ethni- ca ad illum? vivit, ait, Dominus Deus tuus. Et unde mu- lierculæ Gentili hæc vox, ut dicat? Prævenerat Deus, & ei per visionem ostendit. Hoc enim est, quod Deus Prophe- tæ dicit: præcipiam illic viduæ, ut de pascat. Ostende- rat enim Deus mulieri figuram, formam, ætatem, & futu- ram

ram petitionem Prophetæ. Unde ipsa revelationis divinæ conscia, statim ut advenit Propheta, & cibum poposcit, clamabat: vivit Dominus Deus tuus: non est mihi subcinericius panis, nisi quantum pugillus farinæ in hydria: & parum olei in amphora, ut, cum intravero, faciam illum mihi, & pueris meis, ut comedentes moriamur. Nihil enim nobis, inquit, residuum, quam mors, ubi pugillum hunc farinæ insumserimus. Ad hanc tandem vocem affici aliquo modo cœpit Helias. Et in majori angustia est hæc, inquit, quam ego sum. Ego solus esurio, illa cum puero fame laborat, non sum hospiti mortis author. Quid tum? ad hanc vocem relaxatur severitas ejus. Incipit mitescere, & intra se misericordiam exercere. Dicit: non deficit oleum cadi, neq; farina hydriæ, donec Dominus demittat pluviam super terram. Jam tandem submeminit imbris dandi. Antequam fame domaretur, misericordiam in danda pluvia Deo permittere volebat, dicens: non erunt tribus annis pluvia vel ros super terram, nisi juxta verba oris mei. Nunc autem permittit, & solvendo juramento præludit: & submeminit quidem petitionem, tamen nondum adhibet. Quid igitur misericordiæ fons ad hæc? tertiam ei misericordiæ machinam admovet, præcipiens animam pueri viduæ è corpore migrare. Salvus manet Prophetæ honor, benedictio non solum solvitur, hydria & cadus non deficient. Atque adeò hinc magna misericordiæ necessitate Prophetæ constringitur. Erat enim contumelia Prophetæ, si benedictio Gentilis viduæ, apud quam agebat, periret, & obfisset viduæ fidei, si ex hac consuetudine non majoris benedictiones sensisset, commodum. Ea propter Deus benedictionem quidem non irritavit, Prophetæ autem tertia machina oppugnat. Faciens mori filium viduæ, in eam ne-



cesitatem induxit Prophetam, ut se orare cogeretur. Nam vidua, mortui pueri mater, lacrymabunda stabat apud Prophetam, & dicebat: utinam pridem fame mortua essem! & ante hanc benedictionem emigrassem, & non essem misera filii mortui spectatrix. Quo eventu confusus Propheta: hæ sunt, inquit, viduæ hospitalitatis mercedes? antequam me in domum suam suscepit, erat ei proles: postquam autem me suscepit, dilectum filium mortuum plangit & lamentatur. Hoc eventu, ut dixi, confusus Propheta, & apud seipsum expendens factum, sensit opus Domini, sensit technas divinas, & exclamat: heu mihi! Domine testis viduæ apud quam ego habito, tu occidisti filium ejus. Non est mors illa naturæ eventus: tuum opus est, tuæ technæ, quibus me in misericordiæ necessitatem adigis: ut, si dicere tibi voluero, Domine miserere filii viduæ mortui: tu mihi ex adverso respondeas, filium meum Israel tu fame occisum misericordia dignare. Petis à me gratiam, petitur vicissim & à te gratia. Solve famis sententiam, & solvam mortis calculum. Postquam igitur vidit Deus Heliam bene domitum, & aliquando misericordiosem redditum, tandem & ipse misericordiores cum eo confert sermones. Neque enim solvisse ultionem, ultra injuria erat. Proficiscere, inquit: verba legationes Dei sunt. Deus ipse per semetipsum de misericordia apud servum legationis munus obit, & intercedit. Proficiscere, inquit, quia factus es misericordior, declara, quam misericordes sint sermones tui. *Hactenus Chrysostomus.*

Neq; multum abluunt Talmudistæ iracundiæ Eliam postulantes in *Tr. Sanhed. f. 113. R. Jose in oppido Psepphore argutum sermonem habuit: Abba, seu Pater (gl. hoc est, summè dilecte mi, & vir magne mi,) Elias (Thisbita) iracundus erat:* (gl.

(gl. quia indignatus erat Achabo, & dixit: Ita vivit Dominus; si erit annis istis &c.) solitus erat considerare apud eum, & frequentare scholam ejus quotidie: aliquando se ab eo occultans, emanserat tres dies, schola ejus non frequentata. Postea, quum iterum adesset, dicit ei R. Jose: Quare hos tres dies emansisti? Respondente Elia: quia iracundum me vocasti. Reposuit R. Jose: ecce! te iracundum esse, vel ex hoc ipso liquet; quia succensuisti mihi ea de causa, Domine!

Enimvero eâ ratione (i.) ad summum numen rediret culpa, quasi cæco amoris in Eliam, cæcis Eliæ & peccaminosis indullisset adfectibus, & quæ iniquè in tot hominum perniciem postulasset Propheta, liberaliter, ne Eliam offenderet, concessisset. Ite, & si hujus ingenii Deum creditis, ultimas Justitiæ & misericordiæ divinæ cantate nœnias; Fabulam quis non credat Talmudistarum in *Tract. Bava Mezia* fol. 82. Dicebant in cælo, quis revelavit arcana in mundo? Dicebant, Elias adducebant Eliam & percutiebant 60. ictibus igneis. Indignationem v. Dei maximam, si iracundiâ & iniquitate divinitatis laborasset oratio, reverà incurrisset Propheta. Deus enim peccatores non audit, sed, si quis auditor Dei est, & voluntati ipsius obtemperat, hunc audit. Joh. IX, 31. 2.) ab omni præcipitantia & iracundiâ zelum Eliæ absolvit, quin potius commendat Spiritus Sanctus, Luc. I, 17.

Th. IV. Angustias, in quas idololairica Israelitarum gens ob Eliæ preces coacta, his graphicè describit *Chrysostomus*: Hom. II. de Helia fol. 562. Cum Helias, Propheta sanctissimus, populum prævaricari aspiceret; cumque Baal & lucos, despecto Domino; coli à sacrilegis pervideret: cumque creatore despecto, figmentis sese, nemoribusq; omnis populus addixisset; Zelo Dei commotus, Judæam terram siccitatis sententia, & pluviarum sterilitati addixit: tunc subito anhelat terra,  
siccæ.

siccatur calum, sitiunt amnes fontes arescunt. Omnis humor ima petit, supera deseris, aer fervet, serenitas torret, tranquillitas pœna est. Aestuant noctes, dies arescunt, sata torrentur, arbusta agrotant, prata deficiunt, nemora languent, campi jejunant, squallet terra, herbas, quas produxit, interimit: iram Dei universa creatura testatur. Molesta est fames, ubi, quod esurit necessitas, deesse invenit. Tandem pœna, qua torqueat, & culpa meruit competens aliquando supplicium. Sera ultio sceleratam meruit pœnam: & diu dilatatum est, quod quandoque dignè ac meritò interveniret. Proh nefas! nulla ex pœna correctio, & quasi adversus hominum malitia provocetur: sic crescit quotidie, quod puniatur. Amant pœnam supplicium diligunt, nolunt recordari, ut vivant: nolunt corrigi, ut evadant, & quasi frugem mentis sterilitas arescens siccitatis, sic arescente terra aruerans, & hominum corda. Interea solus Helias altior mundo, proximus celo, montis habitaculo & Dei colloquio fruebatur, ne illorum pœnam perspiceret, quorum scelera videre non posset.

Disquirunt eruditi I.) quas regiones dira illa siccitas affligerit, an totam terram, num partem aliquam terræ promissionis? Nobis Casparis Sanctii Jesuitæ & Professoris Complutensis in III. Reg. c. XVII. f. 1233. arridet sententia: Ego hic arbitror, in ea tantum regione accidisse famem, qua tum Achabi superat imperio. Quod mihi illa præcipuè ratio persuadet quia Deus illud peccatum punire voluit in Achabo, regioneq; illa, cui tunc cum imperio præerat, ut proxime ante propheticas minas antecesserat. Illud porro fuit, ut constat ex fine anteced. cap. quia plantavit lucos, coluit Baal, & in illam impietatem nimis obsequentem & facilem populum induxit. Deinde quia primum Baal sacerdotes interfecti sunt, statim arei coeli liquefacti fuerunt, & depulsa fames, qua jam videbatur inveterasse,  
triennali

*triennali mora. Neque Deo inusitatum, ut argum in unam civitatem imbrem demittat, & aliam omnino relinquat arentem, si peccata clamant; & ipsos pluviarum fontes, & quæse conceptacula exhauriat. Qua de re nos pluribus ad illud Amos: cap. 4. v. 7. Et pluit super unam civitatem, & super alteram non pluit civitatem.*

Neq; repugnant sententiæ huic Christi verba, Luc. 4, 25. quod fames facta fuerit in omni terra: ex stylo n. scripturæ: *omnis terra illa dicitur, cui imperabat Achabus, & ubi habitabant illi, qui iisdem cum Achabo se peccatis implicuerant.* vid. Sanctium l. c. Qv. 2. de afflictionis duratione; Menander Josepho citatus lib. 3. Antiquit. Jud. Cap. VII. p. m. 287. unius tantum anni spacio includit: Christus vero, & Jacobus Luc. IV, 25. Jac. V. 17. triennium, cum sex mensibus, statuunt, qui cum Scriptore Libb. Regum haud pugnant, tres annos tantum allegante 3. Reg. XVIII, 1. Solet enim Scriptura in computatione, imperfectos annos quandoq; omittere; e. gr. 1. Paral. XXIX, 23. 1. Paral. c. III, 4. conf. *Sanctium* loc. cit. & adde *Brochmandum* comment. in Epist. Jacobi p. m. 240.

## CAP. II.

## LEMMATA.

Th. 1. Corvi hospites; Th. 2. an angeli? negatur: Angeli nū inter Æthiopes nigri? Verricellus notatur. Maria nigra. Th. 3. An homines Orabini? locus Arabici Interpretis, Orabimi qui? mercatores, an Arabes? negatur. Th. 4. veros fuisse corvos adferitur, & probatur. th. 5. quot corvi, & an corvus Noachi inter illos fuerit? Th. 6. quare corvi? num ad deprecationem culpæ à corvo in diluvio commissæ? corvus tum temporis annon redierit in arcam? num ad Eliæ reprehensionem? veræ causæ adferuntur. Th. 7. locus hospitii.

C

Th. I.

Th. I. Sed hæc de convictore Eliâ; jam ad corvos hospites. Corvi an verò hominis cujusdam hospites? quos (I.) constat proprios pullos ad volatum jam habiles negligere, nido pellere & num fame pereant, parum curare: hinc Deus ad Jobum: *Quis parat corvo cibum suum? quando pulli ejus ad Deum clamant: errant sine cibo* Job. XXXIX, 3. vide, quæ hanc in rem doctè disputat eruditissimus *Bochartus Hieroz. P. II. c. XI. f. m. 203. seqq.* fabulas Rabbiorum & Arabum ridens; *corvos, pullos suos exclusos albos videntes, serpentis esse facti judicare, ac ob id deserere, Deum vero culices pullis preparare, ex proprio ipsorum stercore procreatos, qui in os eorum ingrediantur.*

Quã mirum, corvos esse hominis hospites; qui magnâ sollicitudine de propriis alimentis sibi prospicere necesse habent: & fame extingverentur certè, nisi infinita Creatoris bonitas victum suppeditaret; hinc insigni clamore cibum à Deo rogant. conf. Theologum Argentoratensem, nunquam sine laude nominandum, quem Ecclesiæ bono Deus servet, *Magnum Schmidium* ad Job. loc. all. p. 1461. & Dn. Præsidentem in *Ecloga* ad Ev. Dom. XV. post Trin. Qu. 3. Sed audiamus, num omnes id ipsum credant Interpretes.

Th. 2. Non corvos, sed angelos, corvorum forma vestitos, hoc ministerium exhibuisse, fuerunt, qui adsererent; qui, quas causas prætendant, apud *Tostatum* habes qu. 15. & 16. ad h. l. Enimvero probent  $\alpha$ ) Scripturæ phrasi unquam angelos corvos vocatos;  $\beta$ ) corvorum figurâ purissimos apparuisse angelos: *Dominus corvum abominatur*; Lev. XI, 15. Neque enim & nos *Antonii Maria Verricelli* Clerici Regularis Theol. & J. V. D. admittimus sententiam, qui in tract. de Apostolicis missionibus Venetiis impresso A. 1656. qu. 246. *an Missionarius permittere possit, ut apud Æthiopes sacra imagines Christi, B.*

sti, B. Virg. Sanctorum, & Angelorum, atro colore pingantur, respondet: nego quoad imaginem Christi, & B. Virginis, & Sanctorum non a. quoad Angelorum ex Act. 16, 1. quia S. Angeli apparent ea forma ac specie nationum, quibus præsunt. In quem locum glossa ordin. Angelus illius gentis assimilatus viro Macedoni proprietate linguae vel forma specialia. Nos etiam adversus Verricellum negamus, inter Æthiopes angelos lucis atro colore depingendos esse, cum ipse tenebrarum dux Satanus inter has gentes candido colore delectetur. Vid. B. Ursinum Acerr. Philol. L. 3. Tit. XV. p. 244. rationes alias in conflictu dabimus. Quod Mariæ imaginem spectat, Verricellum blandè monemus, ut absteineat à quæstionis negatione, cum fidei suæ necessariifuscis & nigris Mariæ picturis atque statuis mirum in modum glorientur. Provoco ad asylum Regum Galliarum, ceu vocatur, h. e. ad imaginem B. Virginis miraculosam Aniciensem, qua de Guilielmus Gumpenberg Jesuita, Atlantis Mariani P. I. p. 89. Traditioni huic antiquissimæ favet auctor non ignobilis Comestor, qui capite de descensu reliquiarum Juda in Ægyptum & obitu Jeremia memorat, S. Prophetam prædixisse Ægyptiis, templorum cum idolis ruinam tunc expectandam, cum virgo esset paritura: atque hoc ipsum virginis simulacrum cum in finem Ægyptiis tradidisse, ne dicti sui periret memoria. Porro servatum diu in adytis & templis, tum in musæa Regum Ptolomæorum translatum fuisse. Auctoritatem auctori facit non solum perpetua & constans fama; ut & veterum tabularum monumenta, sed & ipsa statua, sive materiam spectes, sive figuram. E lignis sethim facta creditur; alio enim si è ligno esset, jamdudum illud caries perdidisset. Figuram statua, formamq; si consideres, vultum tingit fuscus, sed adeo vividus color, ut hodie inductum jures. Delectantur hoc colore, ut scis, Ægyptii, & vel ipsos deos suos tunc pulchros credunt, quan-



do vident sibi similes, id est, fuscus. Vestis tota ad morem composita est Judaicum: sedet Virgo gremio puerulum sedentem sustinet, perinde, ut cetera antiqua imagines, quarum fortassis nonnulla ad huius formam effigiata sunt. Adde imaginem miraculosam B. V. de Scala Messana apud Gumbenberg. P. II. Atl. Marian. p. 144. seqq. (3.) quæ causa Spiritum S. h. l. movisset, ut Angelum, Angelum non expressè nominasset, cum in simili casu 2. Reg. XVIII, 5. & 7. Angeli nomen usurpaverit?

Th. 3. הערבים nomē non corvos, sed homines denotare, statuunt alii. Ita Arabs: fuit ad Eliam sermo Dei dicentis: abi hinc, & perge ad orientem, teq; absconde in torrente Cerith, qui est coram Fordane, erisq; bibens ex eo torrente; jam a. praecepi Orabimis, ut ibi de nutriant. Abiitque, & fecit, quemadmodum praeceperat ei Deus, ad torrentem Cerith, qui est coram Fordane: & Orabimi afferebant ei panem & carnem manè, & panem & carnem vesperè, & bibebat ex aqua torrentis. Qui vero illi Orabimi R. Menasse ben Israel in Conciliatore Levit. qu. 3. p. m. 187. refert: proprium, inquit, illud imprimis lingua sancta est, quod varios significatus eadem vocabula habeant. Unde in Beresit Rabba R. Joda (motus, credo, difficultate, qua in his locis est) nequaquam corvos cibum Eliae subministrasse existimabat, sed homines, qui in vicina civitatem ערבו orbu habitantes עורבim appellarentur. Sane, cum in Judicum libro fiat mentio Horeb; cap. VII. 25. ויהרגו את עורב בצור עורב & occiderunt Horebum in rupe Horebi, verisimile est, populum ab illa urbe appellatum fuisse, uti à Franci Francos, ab Hispania Hispanos appellari videmus. Adde, quæ dicuntur in tractatu Talmudico Cholin f. 5, I. cujus verba ex versione B. Scheidii ita se habent: Dixit R. Ada filius Mirjomi: per Orebim 1. Reg. XVII, 6. (quod vulgo, corvi, exponitur.) forte sunt intelligendi duo viri, quorum nomina fuerunt Orebim: annon scribitur Jud. 7, 25. Et occiderunt Oreb, in petra Oreb, & Zeeb &c. praestone est

*est res, ambos illos vocatos esse Orebim? forte autem de nomine loci ita dicti sint! (gl. quod fuerint è petra Oreb: Et annon scribitur, (gl. quod homo vocetur de nomine loci sui, etiamsi vel unicus sit: & licet non loquatur de omnibus viris loci, e. gr. Palaestinis, Gibeonitis & c. sed de viro unico, seu singulari: quale exemplum legitur de ista puella parva 2. Reg. V, 2.?)*

*R. David Kimchi עורבים per mercatores exponit à radice ערב, quæ negotiandi quandoque significationem habet. Ita ap. R. Menasse ben Israel l. c. Alii עורבים orbim interpretantur, quibus Jechezkel XXVII, 27. illud nomen datur ערבי עורבך mercantes mercaturam tuam. Juxta quam sententiam Dominus jusserit mercatores nonnullos Prophetæ necessaria subministrare. Immo, quod R. David Kimchi sentiebat, fieri possit, ut illi mercatores eum in occultum abdiderint. Arabes alii volunt: optime vero Pochartus P. II. Hieroz c. XIII. f. m. 214. Facile est docere hæc interpretamenta nihil habere sani. Ut enim ab Ezechiele Tyrii mercatores describantur hac periphrasi ערבי מערבך, תנ. עורבים per se mercatores nusquã significat. Nec Deus in genere dixisset, præcepi mercatoribus, sed præcepi mercatoribus hujus, vel illius loci, ut te nutriant: reliquas versiones refellit loci situs, in quo accidit hoc miraculum. Nam prope Jordanem ubi latebat Elias, nulli erant Arabes: nulli Orebini, neque nulla urbs Arabo nomine, quod quidem sciam: & Arabes Hebræicè non dicuntur עורבים Orebim; sed ערבים Arbiim: & urbs ערבו Arabo si qua fuit, quod mihi nondum constat; hujus incolæ ערבוים Arobojim, vocati sunt, non Orebim. Præterea Elias ibi latere jussus, non vere latuisset, si latibuli sui conscios habuisset locorum incolas. Et hæc latebra Achabo Regi mox patuissent, qui illum magnâ curâ undequaquæ disquirebat.*

*Th. 4. Nos veros fuisse corvos adserimus, moti i. ) clara textus litera ערב enim propriè corvum denotat Gen. VIII, 7. Prov. XXX, 17. Id quod agnoverunt versiones plurimæ, Chal-*

דָּאָא עֲרֵבִיָּא *corvis praecepi, corvi afferebant illi panem &c. Syra, corvis mandavi, ut ibi te nutriant, & corvi afferebant ei panem &c.* Græca, καὶ τοῖς κόρροις ἐντελεῖμαι, καὶ οἱ κόρροις ἔφερον αὐτῷ ἄρτους. *Josephus Lib. VIII. Antiquit. Jud. c. VII. Rabbinum in Gemara Cholin, & R. Nehemiah in Breschith Rabba cap. 33. apud Menasse ben Israel l. c. 2.* circumstantia loci, sive enim כְּתֹלַל vallem, sive torrentem, significet, utrumq; locum corvi amant; id quod latè deducit *Bochartus P. II. Hieroz. p. 201.*

Th. V. *Fam de corvorum numero.* Unum tantum ad hoc ministerium adhibitum esse *Euty chius Alexandrinus* statuit. Plures vero ut nos censeamus, & pluralis numerus עֲרֵבִים, & alimentorum copia, quibus ferendis unus par haud fuisset, svadent.

Th. VI. *Quare autem corvi?* Autor mirabilium Scripturæ l. 2. c. 17. ideo ait, ut maculam tempore diluvii contractam eluerent. *Corvus fidelis minister Elia, qui negligens & fallax ante Noe, culpam, quam in diluviis commiserat, in terra purgare videtur.* Sed nondum evictum, corvum ad Noam non reversum; ut ut n. Græca & vulgata versio, quemadmodum & Patrum plurimi id adfirment, corvi tn. causam hebraica agit veritas; confer *B. Varenium*, qui *Decad. Mosaicis Lib. Bresith. Parascha Noah p. m. 437.* verba Gen 8, 7. ita reddit, *der Rabe flog aus und kam geschwinde wieder / (blieb auch in den Kasten) bis das Gewässer vertrocknet auff Erden.* *Rivetum, Drusum*, alios in illum Geneseos locum. Nisi forte, in conciliationis usum, rediisse quidam ad arcam (atq; hoc hebraum intendere textum) non vero in arcam (hoc Græcam translationem) admittas; vide *B. Gesnerum*, in *Genes. p. 149.* *B. Gerbardum* in *Genes. p. 215.* & *Academiæ nostræ pignus atque solatium Magnum Calovium* אֲשֶׁר־עָלָה in *Bibliis Illustratis fol. 264. Tom. I. Comment. in Genes. p. m. 691.* Jamdum vero corvos, diluvii tempore, de hoc ministerio Elia olim

lim exhibendo, fuisse edoctos, Rabbinum somniant. Ita enim R. Menasse ben Israel loco sapius citato p. 187. Ingeniose R. Jodan, verbis R. Joda ait, corvum, cum à Noacho arcâ egredi juberetur, interrogasse, quandoquidem tot & tam varias aves in arca haberet, cur potissimum se ex omnibus emitteret; Noachum autem respondisse, id à se factum, quia ille immundus, nec ad victum, neque ad sacrificia utilis esset. Ait R. Berabiah nomine R. Aba ben Caanah, tunc Noacho Dominum dixisse recipe eum; etenim quondam utilis erit, temporibus Propheta Elia, cui victum corvi subministrabunt. Idque innuit Scriptura dicens: & exivit exeundo & revertendo, donec siccarentur aqua. His verbis, meo, quamvis tenui, judicio, indicare illi auctores voluerunt, nihil in mundo tam malum esse, quin alicujus sit usus. Ideoque agunt, quamvis corvus nulli usui esset, quum à Noach emitteretur, tamen venisse tempus, quo Propheta operam utilem impenderit, atque illud tempus mirabiliter à S. Scriptura designari, quando dicit, corvum exivisse exeundo ac revertendo, (neq; ulla in re utilem fuisse,) donec siccarentur aqua: nimirum, usq; ad siccitatem cœli, & maximam illam penuriam aquarum, cui causam dederat juramentum Elia. Quin & ipsa voce יבשת jeboset, siccata sunt, illud designatur, quod inversum est תשבי Tisbi, sive Elias Tisbites.

(2.) Chrysostomus Cap. I. n. 3. nobis adductus, ea propter hanc corvis obtigisse sortem contendit, ut suo exemplo misericordiæ & commiserationi parum alias dediti Prophetam confunderent, & ad preces, pro reddenda agrorum fertilitate, incitarent. Vide, quæ ibi pro Elia diximus.

V.) R. Menasse ob securitatem id factum ait: quin & dicere liceat, ideo Dominum voluisse, ut corvi victum subministrarent Elia, ne pii homines, cum viderent cibaria à mensis suis ab ave immunda diripi, ea iterum recipere tentarent.

Nos quidem cum Apostolo: quis cognovit mentem Domi-

*ni, aut quis fuit illi à consiliis?* Rom. XI, 34. pie tamen colligimus, factum id fuisse ad demonstrandam Eliæ Protectoris ac Nutritii sui omnipotentiam, pariter atque suorum curam, ut hâc ratione tantæ virtutis Deum, cuius servitio se mancipasset Elias, cognosceret, ad cuius nutus naturam quoque dediscerent bestix, & rapaces præberent cibum huius curæ, ut ne sui perirent, & cœli volucres ad ministeria atque officia paratas atque idoneas ostenderet. Quod, certe, in tot adversitatibus pro gloria Nominis divini perferendis Prophetæ solatii argumentum non leve erat!

Th. VII. *De loco hospitii nunc pauca.* Torrens Cerith (sic Corn. à Lapide in h. l.) descendit de montibus Ephraim juxta urbem Phaselum: unde juxta eam multa erant cavernæ & spelunca, in quas se abdere poterat Elias. Cis Jordanem Adrichomius, trans Jordanem Hieronymus, hunc torrentem constituit: eundem cum torrente נקפ sive arundineti Jos. XVI, 8. & XVII. Menochius facit. Templum hoc in loco in perpetuam miraculi venerationem S. Helenam extruxisse, est Nicephoro Corn. à Lapide scribit; verum, an id Nicephori verbis firmiter adstruere possit, ego quidem ambigo. Verba Nicephori Lib. VIII. Hist. Eccles. c. 30. p. m. 596. edit: Front. Ducaei sic se habent: S. Helena Imperatrix aliam adem-  
 πεις τὸ ἀναπτὸς ἔδρας Ηλιᾶ τῆς Θεσβιτᾶ ad acclivitatem montis Helia Thesbita erexit: quàm vero hæc cum torrente aut valle conveniunt?

### CAP. III.

#### LEMMATA.

§. 1. *Cibi quales? an caro & panis conjunctim, an panis mane, vespere carnes allata? quid diebus jejunii comederit?* §. 2. *§. 3. cibi unde desumpti?* §. 4. *an corvorum contactu non polluti?*

Th. I. Qui Eliam in secretam terræ regionem raptum esse

sc

se fingunt, ibique præstolari adventum Messiae ad iudicium, (quem errorem *Augustinus lib. de Peccato Orig. c. XXIII.* profitetur,) disquirunt, an pascatur hodie, an sine cibo conserve-  
tur? quæstione Christiano homine indigna, Eliæ ob expres-  
sam Scripturæ S. literam, Eliæ raptus terminum & Eliæ statum  
describentem, ut huic nullus concedi locus queat. Nobis vel  
ipse sacer textus, de cibis Eliæ ab hospitibus corvis allatis atq;  
appositis, quærendi occasionem subministrat *Corvi*, sic habet  
codex Biblicus, *afferebant panem & carnem quolibet mane, si-  
militer panem & carnem quolibet vespere.* Quid  $\text{חֶלֶב}$  panis,  
quid  $\text{בָּשָׂר}$  caro sit, omnes intelligunt. Græca versio contra ve-  
ritatem Hebraicam disputationi ansam dedit, num carnes &  
panes conjunctim, an panem mane, carnem vesperi, corvi at-  
tulerint. Ita enim illa: *Καὶ οἱ κόρακες ἔφερον αὐτῷ ἄρτους τὸ πρωῖ, καὶ  
κρέας τὸ δείλις, & corvi ferebant ei panes mane & carnes vesperi.*  
Quam sententiam & Patrum plurimi defendunt, *Augustinus,*  
*Athanasius*, alii: sed rectè, errorem in versionem hanc vitio  
temporum irrepsisse, fatetur *Sanctius* in h. l. *Bochartus* loc. cit.  
quem & codex græc. Complutensis agnoscit, cujus hæc lectio:  
*ἄρτους καὶ κρέας τὸ πρωῖ καὶ ἄρτον καὶ κρέας τὸ δείλις,* Faciunt vero nobi-  
scum versiones, *Chaldaea, Syra, Arabica, Vulgata.* Quæstionem  
magisterialem *Tostatus*, & ex eo *Corn. à Lapide* in h. l. propo-  
nit. *Quærit Abulensis, quid comederit Elias diebus jejuniorum,*  
*quibus non licet vesci carnibus? ac respondet, eum comedisse, quic-  
quid corvi afferebant. Deus enim mittendo carnes ad Eliam, hoc  
ipso cum eo in jejunio dispensabat, volebatq; ut eas comederet, ac  
dono suo tam liberali frueretur, ne frustras eas misisse videretur.*

Sed eam obstinentiam à sola carne Papæis hodie usitatam,  
jejuniorum nomine, neque stylo Biblico, neq; Ecclesiastico  
venire, ipse *Launojus*, doctissimus ordinis Pontificii scriptor,  
in commentario, de veteri ciborum delectu, admittit. Vide,  
quæ adversus hæc jejunia disputat *B. Chemnitius Exam. Con-  
cillii*

cilii Tridentini P. IV. p. 768. B. Scherzerus programme XXV. de *Jejunio* p. 322. Præses in Chrystostomo Lutherano, Dallæus de *Jejuniis veterum*.

Th. 2. Cruda, an præparata fuerint fercula illa, definitum non est. Si quid tamen suspicionibus dandum, ex defectu aromatum, & ad coctionem subsidiorum necessariorum jamdum cocta, & ad esum parata colligimus. Angelos coquorum officio defunctos *Cornelius à Lapide* scribit: corvi, Deo instigante, quotidie his apportabant panem & carnes *Eliæ*, scilicet mane ad prandendum, & vespere ad cœnandum. Angeli autem hos panes & carnes apparabant, ideoque meliores & sapidiores erant nostris, qui à pistoribus & coquis apparantur, juxta illud *Pf. 77, 25* panem Angelorum mane ducavit homo: mox eosdem corvi ad *Eliam* deferendos dabant, eosque continebant, ne illos attingerent, ac impellebant, ut ad *Eliam* intactos deferrent.

Th. 3. Unde vero corvi hos cibos desumserunt? recte quidem *Autor* de *mirabil.* *Scripturæ* l. c. ait *carnes & panes corvus detulerit, ipse viderit, qui tale officium committebat.* Docta tamen hac ignorantia non contenta interpretum curiositas, modò ex macello *Achabi*, ut *R. Juda*, in *tract. Sanhedr. f. 113.* ex mensa *Achabi Tostatæ* cum *Sanctio* putat *Tostatæ*, non improbabile, cibos, qui quotidie afferebantur à corvis, esse de *Regis mensa*, & egregie conditos, sublatoque per Angelos inde, & in locum aliquem delatos, unde corvi ad *Eliæ* latebras, & diversorium deducerent. Quod si ita est, ut non temere conjectat *Abulensis*, non solum sufficientem, sed etiam tantum, & regium cibum à *Dei* providentia liberali, & à corvino ministerio suscepit *Elias*.

Ex ædibus *Regis Josaphat Rabinah* in *tr. Cholin. c. 1.* & *Nehemias* in *Ber. Rabba*, aut ex pia liberalitate alicujus justi (ex 7. millibus, qui idolis se non incuraverant,) *Menasse ben Israel* l. c. & *Bochartus* l. c. accepisse conjiciunt.

Th. 4. Ille adhuc restat scrupulus, qui ab imunda ave, absque pollutione, *Eliæ* cibum potuerit admistere, & annon ipse cibum impurus fuerit redditus? sed eruditè hunc eximit *Magnus Bochartus* l. c. f. 216. *At corvus, inquires, immunda est avis, contactuque omnia scedans. Omnino; cum plerumque vescatur cadaveribus, & lex ceremonialis immundis avibus eum accenseat. Sed, quod purificavit Deus, non debet haberi pro immundo, Act. 10. 15. Idem Deus, qui hanc legem sanxerat, etiam abrogavit, aut saltem *Eliam*, ab ejus observatione, dispensavit ad tempus. Quamvis hujusmodi dispen-*

dispen-

dispensatione non fuerit opus. Ceremoniarum enim observatio poterat præmitti, cum urgebat vitæ necessitas. Ita Samsoni licuit favum mellis comedere; ut adhuc locum observat Theodoretus. Et David esuriens panes *ἄνθρωποι* edit sine scrupulo, quos aliqui non licebat edere, nisi solis Sacerdotibus, Luc. 6. v. 4. Ac proinde rectè sancitum est, ut Judæis, die Sabbathi, ab hoste provocatis pugnare licitum esset, & vim vi repellere, 1. Maccab. 2, 27. Agebatur enim de vita. Et Sabbathum est propter hominem, non homo propter Sabbathum Marc. 2, 27.

## Cap. IV.

Miraculosa hujus cibationis usus exhibet 1.) didascalicum 2.) elencticum 3.) pædenticum 4.) consolatorium.

Th. I. Deum suos curare, & in omni angustia illis prospicere, Elias corvorum convictor perspicuè docet. Ut vel hic exemplum regulæ Davidicæ sit; oculi Domini super timentes eum, ut eripiat à morte animas eorum, & alat eos in fame, Ps. XXXIII, 18. Confer, quæ pro adstruenda divina providentia scripserunt, Chrysostomus tribus peculiaribus libris, Salvianus Massiliensis lib. VIII. de gubernatione Dei, quem & Conradus Rittersbusius edidit, atque insigni commentario ornavit, & Stephanus Balluzius vir clarissimus, Prosper in carmine de Providentia, alii.

Th. 2. Epicuri impietatem, Deum nemini sive propitium sive iratum esse, (cujus vestigia legerunt discipuli, Lucretius, Patrocles ap. Plutarch. in libro, de sero à Deo punitis.) & providentiam divinam mentem esse fabulam, Elias corvorum convictor confundit: quam & ipse Cicero graviter reprehendit lib. I. de Nat. Deorum: sunt Philosophi, & fuerunt, qui omnino nullam habere censerent humanarum rerum procurationem Deos, quorum si vera sententia est, quæ potest esse pietas? quæ sanctas? quæ religio? hæc enim omnia purè, ac castè tribuenda Deorum Numini ita sunt, si animadvertuntur ab his, & si est aliquid à Diis immortalibus hominum generi tributum. Sen autem Diis, neque possunt nos juvare, nec volunt, nec curant omnino, nec, quid agamus, animadvertunt, nec est, quod ab his ad hominum vitam permanere possit. Quid est, quod ullos Diis immortalibus cultus, honores, preces adhibeamus? in specie autem fictæ simulationis sicut reliquæ virtutes, ita pietas in esse non potest, cum qua simul & sanctitatem, & religionem tolli necesse est. Quibus sublati, perturbatio

*batio vitæ sequitur, & magna confusio, atque haud scio, an pietate adversus Deos sublata, fides etiam, & societas humani generis, & una excellentissima virtus, justitia, tollatur.*

Vide, quæ adversus Epicurum solide disputavit *Lactantius*, in omnibus ferme scriptis, & doctissimus *Petrus Gassendus* in *Ppilof. Epicuri Syntagmate*; animadvers. IV. p. 209. *regere Deum speciali cura humanum genus.*

Refutari & hoc *Eliæ* extemplo fallaciæ *Julii Caesaris Vanini* possunt, quas in divinæ providentiæ destructionem, in *Amphiteatro divinæ providentiæ*, adhibuit, atheorum ille cæsar, rogo demum datus ex merito.

Th. 3. Summa patientia in extremis angustiis sua Deo committant afflicti, etsi famis tempore, (quale vero malum famas, exposuit prolixè *Stengel*. P. IV. de *Jud. divinis* à cap. IV. usque ad c. XI.) à corvis cibos expectare jubeantur, *Eliæ* instar Deo fidant, committant Deo vias suas, ipse faciet *Pf. XXXV. 5.*

Th. IV. *Elia* corvorum victore se erigant pauperes atque famelici. Neque enim de misericordia, de servandi & pascendi promptitudine remisit quicquam supremum Numen; *manus Domini abbreviata non est.* Num. XI, 23. Simile exemplum ex *Hieronymo* in vita *S. Pauli* refert *Corn. à Lapide* in h. l. *corvi afferebant quotidie dimidium panem ad S. Paulum, primum eremitam, integrum verò, adveniente S. Antonio. Unde ad eum conversus S. Paulus, ait: eia! Dominus nobis prandium misit, vere pius, verè misericors. Sexaginta anni sunt, cum accipio quotidie dimidii panis fragmentum, nunc ad adventum tuum militibus suis Christus duplicavit annonam.*

*Cuthbertum* ab aquila pastum *Beda* in vita *Cuthberti* scribit. Adhibe ad deductionem hujus solatii, venerandi & nunquam satis laudandi


*Dn. Scriverii* P. IV. des *Seelen-Schakes/ von der*

*Armuth der gläubigen Seelen/ p. 379.*


seqq.


TANTUM!














66  
Miscell





17

Q. B. V.

*Ex 1. Reg. XVII. comm. 1-6.*

# ELIAS CORVORUM CONVICTOR,

*DISSERTATIONE SOLENNI,*

SUB PRÆSIDIO

*ACADEMIÆ RECTORIS MAGNIFICI,*

## DN. JO. FRIDERICI MAYERI,

### DOCTORIS ET PROFESSORIS THEOLOGI

ELECTORAL. ALUMNORUM EPHORI &c.

P. P.

*Ab*

AUTORE RESPONDENTE

DAVID GOTTERID SCHWERTNERO, BRIGA SILESIO,

*D. 23. Januarii, A. 1685. in Audit. Theol.*

---

WITTEBERGÆ,

Literis BRÜNINGIANIS.

